2/ Per denegationem Juris Patronatus ad abbatias Regis, & Reipublicæ dignitas deprimeretur,

1/ Elucidationes sub Lit. B.

Non solum propter cessationem Iurisdictionis Regiæ, & Reipublicæ quæ ipsi in suo Regno competit controuersiam eiusmodi sopiendi, iuxta Statutum Alexandri Regis Aº 1454 Herburt Fol. 400 §. omnes differentias inter Spirituales, & Sæculares exortas in Conventione Generali sopiemus & iuxta exemplum in Statutis Herburti fol. eodem allegatum tempore Casimiri Magni An: 1369. quo controuersiæ exortæ inter Spirituales, & Sæculares in Comitÿs Regni Generalibus decidebantur. Sed etiam propter euocationem Romam Regis, & Reipublicæ infra cuius dignitatem est litigare cum Monachis fundum Reipublicæ occupantibus, quibus ipsa cum Rege Iura dare consuevit. Tum propter cessationem Iuris Patronatus Regÿ per talem nouationem quando Rex non posset habere Abbatem personam sibi bene uisam, & meritam, nisi a Monachis impositam uel propter diuisionem Iuris-Patronatus, & Bonorum Abbatialium impracticatam, Legibusq Regni non permissam.

Senatus Spiritualis grauitas minoraretur,

Non haberent enim Episcopi sufficientiam de propria, uel ex reditibus Episcopatuum Senatoriam suam dignitatem parem, uel maiorem Sæcularibus Senatoribus (: quibus Capitaneatus, Bonaq Regalia opima dantur:) sustinendi, si Abbatÿs carerent, uel reditus Abbatiales cum Claustralibus Abbatibus diuidere deberent, uti in

digentes eſsent apud Sæculares mi-
nus considerabiles, & non Autho-
risati.

Tribunalis Regni Authoritas cui Spirituales præsident, & aſsident, attenuaretur

Pari ratione, uti Episcoporum gra-
uitas in Senatu, ita Præsidenti-
um & aſsidentium Spiritualium
in Tribunali Authoritas ex indi-
gentia cum tenuiores reditus ex
suis Canonicatibus, seu beneficijs
habeant, & ad continuam residen-
tiam in Tribunali per quinq quar-
tualia Anni obligati existant
quibus quandoq Rex iuxta meri-
ta gratiâ suâ per collatas Abba-
tias suffragatur.

Aula Regia præmiandi modo destituta a Spiritualium aſsistentia desereretur, & publico eorum obsequio priuaretur,

Jidem enim Spirituales ob spem præ-
mij in obsequio Regis, & Reipublicæ
de proprio suo Patrimonio commo-
rari solent, & inter præmia, quæ
Rex inter Spirituales distribuere
solet, non postrema sunt Abbatiæ.
Itaq ijdem Spirituales attritis Pa-
trimonijs spe præmij Abbatiarum
destituti recederent ab Aula, &
ab obsequio Regis, & Reipublicæ, quia
non haberet Rex quod illis dare
poſset, ademptâ Regi plenaria, aut
in minutas Partes scissa Abbati-
arum Collatione.

Tranquillitas Reipublicæ turbaretur,

Sicut enim in Comitijs Pacifica-
tionis Regni per Tractatum Var-
savviensem, Jus-Patronatus serio
cautum, Jusq Majestaticum in
toto conseruatum est, ita si Mo-
nachi hunc Tractatum, & Legem
Nouellam, tali, ut prætendunt, no-
uitate Româ sibi conceſsâ, uiola-

rent, tunc omnes Palatinatus, & Terræ contra ipsos non aliter consurgerent, nisi tanquam contra Infractores Tractatus, & Nouellæ Legis, & possent ipsos in Judicijs extraordinarijs ui, & potestatem Judiciorum Comitialium repræsentantibus iuxta eandem Nouellam Legem iudicare, & pœnas tales quales in Legibus Rni sancitæ sunt extendere. Judiciumq hoc Rex prohibere non ualeret, nec executionem Decretorum impedire posset.

Et aliæ insperatæ Consequentiæ nociuæ Reipublæ & Ecclesiæ ex tali nouitate concessa q subsequerentur,

Nam indignum Reipublæ uidetur, ut Rex Lite certet cum Monachis, quem uti Protectorem et Patronum uenerari debent, & si aliquibus medijs Juridicis Romæ ijdem Monachi Jus Patronatus infringent, tunc Respublca alia media fortiora & extrema pro defensione, & conservatione huius Juris Patronatus contra Monachos iuxta præscriptum Legum Rni arripere esset coacta, & quomodo Regi & Reipublæ negant, inuiti concedere tenerentur & ex tali exasperatione Collisio inter Remp.cam eiusq potentiam, & Ecclesiam, eiusq potestatem fieri facile posset cum incommodo utriusq Partis, & scandalo Hæreticorum.